

S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

TRANSLATIO LATINA

REGULÆ SANCTI PACHOMII

PRÆFATIO.

53 4. Quamvis acutus gladius et levigatus, si diu in vagina conditus fuerit, sordescit rubigine, et splendorem pristini decoris amittit. Unde et ego mœrens super dormitione sanctæ et venerabilis Paulæ, non quo contra præceptum Apostoli facerem, sed quo multorum incisa illius morte refrigeria suspirarem, accepi libros ab homine Dei Silvano presbytero mihi directos, quos ille Alexandria missos susceperat, ut etiam [Al. mihi] injungeret transferendos. Aiebat enim quod in Thebaidis cœnobiis, et in monasterio Metanœæ, quod de Canopo in pœnitentiam ¹ felici nominis conversione mutatum est, habitarent plurimi Latinorum, qui ignorarent Ægyptiacum Græcumque sermonem, quo Pachomii et Theodori et Orsiesii præcepta conscripta sunt. Qui primi per Thebaidem et Ægyptum cœnobiolorum fundamenta jecerunt juxta præceptum Dei, et angeli, qui ad eos ob hanc ipsam institutionem missus venerit ².

Itaque quia diu tacueram, et dolorem meum silentio devoraveram: urgebant autem missi ad me ob hanc ipsam causam Leontinus presbyter, et cæteri cum eo fratres, accito notario, ut erant de Ægyptiaca in Græcam linguam versa, nostro sermone dictavi, ut et tantis viris imperantibus, ne dicam rogantibus obedirem, et bono, ut aiunt,

¹ Scilicet pœnitentiam Græce sonat Metanœa. Canopus autem dudum infamis ob luxum ac delicias insula, Metanœa vocata est, translatis illuc a Theophilo, vel Cyrillo monachis, qui pœnitentiam agent vitam. Athanasius presbyter in libello, quem concilio Chalcedonensi obtulit adversus Dioscorum, *Μετάνοιαν προσστήϊον τῆς μεγίστης, Ἀλεξανδρείας ὁ πότε Κάνωπος καλούμενος, etc. Metanœa suburbium maximæ urbis Alexandriæ, quod olim Canopus vocabatur, etc.* Vide etiam Eunapium in Vita Ædesii, ubi destructis Canopi delubris monachos eo tradit inductos.

² Princeps editio, et Romana an. 1580 accuratior, qui a Deo sub hanc institutionem, etc.

³ Malim conciniori sensu, legendum.

⁴ Cassianus I. iv, c. 1, *Tabennesiolas* vocat. Nomen mutuatur, a Tabenna insula in Nilo flumine in qua Pachomius insigne monasterium con-

auspicio longum silentium rumperem, reddens me pristinis studiis, et sanctæ femine refrigerans animam, quæ monasteriorum semper amore flagravit, et **54** quod visura erat in cœlo, hic in terris meditata est. Venerabilis quoque virgo filia ejus Eustochium haberet quod sororibus agendum ³ tribueret, nostrique fratres Ægyptiorum, hoc est, Tabennensium ⁴ monachorum exempla sequerentur, qui habent per singula monasteria patres, et dispensatores, et hebdomadarios, ac ministros, et singularum domorum Præpositos, ita ut in una domo quadraginta plus minusve fratres habitent, qui obediant Præposito; sintque pro numero fratrum triginta, vel quadraginta domus in uno monasterio, et ternæ, vel quaternæ domus in unam tribum fœderentur, ut vel ad opera simul vadant, vel in hebdomadarum ministerio sibi succedant per ordinem.

³ Quicumque autem monasterium primus ingreditur, primus sedet, primus ambulat ⁴ primus psalmum dicit ⁵, primus in mensam extendit manum, prior in Ecclesia communicat; nec ætas inter eos quæritur, sed professio.

4. Nihil habent in cellulis præter psiathium et quæ infra scripta sunt ⁶, duo lebitonaria (quod Ægyptiis monachis genus vestimenti est ajne ma-

diderat, ex quo reliqua ejusdem instituti, quasi ex metropoli, excisa sunt. Vid. Palladium, et Sozomenum.

⁵ Olim nempe psalmi non utrinque invicem inter monachos, sive clericos decantari toti solebant, ut hodie fit; sed singuli a singulis, ut uno psalmum canente ex ordine, cæteri summo silentio auscultarent. Vid. quæ in epist. 125 ad Rusticum, num. 15, adnotavimus.

⁶ Hæc, et quæ infra scripta sunt, veteres editi non agnoscunt. Porro *Psiathium* quid fuerit, post Rosweidum ac Menardum Holstenius in Indiculo notat, Stoream nempe ex junco, sive papyro confectam, qua pro lecto aut stragulo monachi utebantur. *Lebitonarium* Glossæ *Colobium* et *Colobarium* interpretantur. Cassian. I. 1, c. 5, *Egyptios monachos describens, Colobiis, inquit, lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas*

nicis) et unum jam attritum ad dormiendum, vel operandum; et amictum lineum, cucullosque duos; et caprinam pelliculam, quam meloten vocant; balteolum lineum, et gallicas [Al. caligas], ac bacillum itineris socium.

5. Ægrotantes miris sustentantur obsequiis, et ad omnem copiam præparatis cibis: sani majori pollent abstinentia. Bis in hebdomada, quarta et sexta 55 sabbati ab omnibus jejunatur, excepto tempore Paschæ et Pentecostes. Aliis diebus comedunt qui volunt post meridiem: et in cœna similiter mensa ponitur, propter laborantes, senes, et pueros, æstusque gravissimos. Sunt qui secundo parum comedunt; alii qui prandii, sive cœnæ uno tantum cibo contenti sunt. Nonnulli gustato paululum pane egrediuntur. Omnes pariter comedunt. Qui ad mensam ire noluerit, in cellula sua panem tantum et aquam, ac salem accipit, sive in uno die voluerit, sive in biduo¹.

6. Fratres ejusdem artis in unam domum sub uno præposito congregantur: verbi gratia, ut qui texunt lina sint pariter; qui mattas, in unam reputantur familiam; sarcinatores, carpentarii, fulloes, gallicarii seorsum a suis præpositis gubernantur: et per singulas hebdomadas ratiocinia operum suorum ad Patrem monasterii referunt.

7. Omnium monasteriorum princeps unum habetur

de reliquo circumferunt manus. » Vid. infra cap. 14. De Melote autem Paulus diaconus nomine Theodemari abbatis ad Carolum Magnum scribens: « Illud, inquit, vestimentum, quod a Gallicanis monachis cuculla dicitur, et nos capam vocamus,

A caput, qui habitat in monasterio diebus Paschæ: exceptis his qui in monasterio necessarii sunt, ad illum omnes congregantur, ut quinquaginta millia fere hominum Passionis Dominicæ 56 simul celebrent festivitatem.

8. Mense, cui vocabulum est Mesore, id est Augusto, instar Jubilæi remissionis dies exercentur, et peccata omnibus dimittuntur, reconcilianturque sibi qui aliquam habuerant simultatem; et disponuntur monasteriorum capita, dispensatores, præpositi, ministri, prout necessitas postularit.

9. Aiunt autem Thebæi quod Pachomio, Cornelioque et Syro, qui usque hodie ultra centum et decem annos vivere dicitur, angelus linguæ mysticæ scientiam dederit, ut scriberent sibi, et loquerentur per alphabetum speciale, signis quibusdam et symbolis absconditos sensus involvens: quas nos Epistolas² ita ut apud Ægyptios Græcosque leguntur, in nostram linguam vertimus, eadem ut reperimus elementa ponentes, et qua simplicitatem Ægyptii sermonis imitati sumus, interpretationis fides est: ne viros apostolicos et totos gratiæ spiritalis sermo rhetoricus immutaret. Cætera autem quæ in eorum tractatibus continentur prælibare nolui, ut in suis discantur auctoribus: et de fontibus potius quam de rivulis bibant, quos sanctæ conversationis studia delectant.

quod proprie monachorum designat habitum, Melotem appellare debemus, sicut et hactenus in hac provincia a quibusdam vocatur. »

¹ Holsten. sive post biduum.

² Holsten., sed forte typographorum mendo, non.

REGULA

PATRIS NOSTRI PACHOMII HOMINIS DEI,

Qui fundavit conversationem cœnobiorum a principio per mandatum Dei.

EXORDIUM PRÆCEPTORUM,

57 I. Qui rudis in collectam sanctorum ingreditur, et quem per ordinem janitor ab ostio monasterii introduxerit, et sedere fecerit in conventu fratrum, non ei licebit sedendi locum vel ordinem commutare, donec eum transferat Totibioc, id est, præpositus domus suæ, ad locum qui ei rite debetur.

II. Sedebit autem cum omni decore et mansuetudine; pelliculamque super humerum geret: ex latere et inferiori parte subdens natibus; et vestimentum, id est, tunicam lineam absque manicis,

D quam Levitonarium vocant, diligenter astringens, ita ut genua operiat.

III. Cumque audierit vocem tubæ ad collectam vocantis, statim egrediatur cellulam suam, de scripturis aliquid meditans usque ad ostium conventiculi.

IV. Et quando in loco collectæ cœperit ambulare, ut ad locum sedendi standique perveniat, ne vel parum damni in monasterio ex alterius veniat negligentia.

V. Sin autem nocte signum insonuerit, ne stete-

rit ad focum, quem propter calefacienda corpora, et repellendum frigus ex more succenditur: nec otiosus in collecta sedebit, sed funiculos in mattarum stramina manu celeri præparabit; absque infirmitate duntaxat corpusculi, cui cessandi tribuitur venia.

VI. Cumque major ¹, vel stans prior in gradu, manu percusserit, de Scripturis quidpiam volvens memoriter, ut oratio finiatur, nullus consurget tardius, sed omnes pariter levabunt.

VII. Nemo aspiciat alterum torquentem funiculum, vel orantem ²; sed in suo defixis luminibus opere sit intentus.

VIII. Hæc enim præcepta vitalia a nostris majoribus ³ tradita. Si acciderit ut psallendi tempore vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur aut rideat, **SS** illico solvat cingulum ⁴, et inclinata cervice manibusque ad inferiora depressis, stabit ante altare, et a principe monasterii increpabitur. Hoc idem faciet et in conventu fratrum, cum ad vescendum pariter convenerint.

IX. Quando ad collectam tubæ clangor increpaverit per diem, qui ad unum orationem tardius venerit, superioris increpationis ordine corripietur [*Al. increpabitur*], et stabit in loco convivii.

X. Nocte vero, quoniam corporis infirmitati plus aliquid conceditur, qui post tres orationes venerit, eodem et in collecta et in vescendo ordine corripietur.

XI. Quando in collecta orant fratres, nemo egrediatur absque jussione majorum, nisi interrogaverit, concessumque ei fuerit exire pro naturæ necessitate.

XII. Nullus dividet juncos ad texendos funiculos præter eum qui ministrat hebdomadæ; et si ille justo opere detentus est, majoris imperium præstolabitur.

XIII. De hebdomadariis unius domus non eligentur qui stent in gradu, et conventu omnium de Scripturis aliquid replicent: sed omnes juxta sedendi et standi ordinem memoriter repetent quæ sibi fuerint imperata. Et quibus si quis oblitus quid hæsitaverit in dicendo, negligentiae et oblivionis correptionem sustinebit.

XIV. In die Dominica, vel oblationis tempore nullus deerit de hebdomadariis, sedens in loco Ebiymii, psallentique respondens, ex una duntaxat domo, quæ in majori servit hebdomadæ. Altera est etiam minor hebdomas, quæ per singulas domos a paucioribus exhibetur.

XV. At si major est numerus necessarius, de

¹ Ad principis editionis fidem capitulum istud emendavimus, quod ab Holstein imperfecto sensu ad hunc modum exhibetur: « Cumque manum percusserit stans prior in gradu, et de Scripturis quidpiam volvens memoriter, ut oratione finiente, nullus, » etc.

² Stadius et Ciacconius *operantem, vel orantem*; quorum alter Prologum hoc absolvit capitulo, alque exinde Pachomianam regulam sic exorditur: « In-

eadem tribu alii vocabuntur a præposito domus, qui ministrat hebdomadæ: et absque jussione ejus nullus **SS** de altera domo ejusdem tribus ad psallendum veniet, et penitus non licebit in alterius hebdomadæ, et de alia venire domo, nisi forte ejusdem tribus sit.

XVI. Vocatur autem una tribus, habens tres vel quatuor domos, pro numero et frequentia monasterii: quas nos familias, vel populos unius gentis possimus appellare.

XVII. In die Dominica et collecta, in qua offerenda est oblatio, absque præposito domus, et majoribus monasterii, qui alicujus nominis sunt, nemo psallendi habeat potestatem.

XVIII. Psallente autem quolibet de majoribus, id est, dicente responsorium, si quis defuerit, statim ante altare pœnitentiæ, et increpationis ordinem sustinebit.

XIX. De collecta in qua offerenda est oblatio, qui sine præcepto majoris exierit, statim increpabitur.

XX. Mane per singulas domos finitis orationibus non statim ad suas cellulas revertentur: sed conferent inter se quæ præpositos audierint disputantes, et sic intrabunt cubilia sua.

XXI. Disputatio autem a præpositis domorum per singulas hebdomadas tertio fiet: et in ipsa disputatione sedentes, sive stantes fratres suum ordinem non mutabunt, juxta domorum ordinem et hominum singulorum.

XXII. Si quis dormitaverit sedens, præposito domus, vel monasterii principe disputante, statim surgere compelletur: et tandiu stabit, donec ei jubeatur ⁵ ut sedeat.

XXIII. Quando signum insonuerit, ut convenient et audiant præcepta majorum, nullus remanebit ⁶ nec succendetur focus antequam disputatione compleatur. Qui unum ex his ⁷ præterierit, prædictæ correptioni subiacebit.

XXIV. Qui hebdomadarius est, non habebit potestatem absque præcepto principis monasterii dare cuiquam funiculos, vel aliorum quid vasorum; nisi ille jusserit, signum dare non poterit, ut ad collectam meridianam, vel ad vespertinam sex orationum congregentur.

XXV. Post orationes matutinas minister hebdomadis, cui hoc opus fuerit injunctum, interrogabit principem monasterii de singulis rebus, quas necessarias putat; et quanti exire debeant operari [*Fort. operarii*] in agrum. Et juxta illius jussionem **SS** circumibit singulas domos, et discet quid unus-

cipit Regula Pachomii. Hæc sunt præcepta tribus a majoribus tradita, » etc.

³ Vitiose Holstenius, *a nobis majoribus*; pro quo nostris reposuimus. Elegantius vero, ut supra inuimus, veteres editi *tribus a majoribus*, puta Pachomium, Theodorum, Orsiesium.

⁴ Haud recte idem Holstenius, *vinculum*.

⁵ Veteres editi, *videatur*.

⁶ Ibidem. *Qui unum mandatum ex his, etc.*

quisque habeat necessarium. Codicem si ad legendum petierint, accipiant; et finita hebdomade, propter eos qui succedunt in ministerium, suo restituant loco.

XXVI. Si mattas operabuntur, interrogatur minister ad vesperum præpositos¹ domorum singulorum quibus juncorum singulis domibus necessarium sit; et sic infundet juncos, et mane per ordinem unicuique tribuet. Et si mane viderit aliis quoque juncis opus esse, infundet eos, et ad singulas domos perferet tandiu, donec signum vescendi increpet.

XXVII. Præpositus domus, qui implet hebdomadam, et alius qui venturam suscipiet, principesque monasterii habebunt curam videndi quid operis prætermissum sit vel neglectum; et excuti facient mattas, quæ super pavementum in collecta expandi solent; numerabuntque funiculos, quos per singulas hebdomadas torserunt, et eorum summam describent in buxis, et servabunt usque ad tempus annuæ congregationis, quando reddenda est ratio, et peccata omnibus dimittuntur.

XXVIII. Dimissa collecta, singuli egredientes usque ad cellulas suas, vel usque ad vescendi locum, de Scripturis aliquid meditabuntur; nullusque habebit opertum caput meditationis tempore.

XXIX. Cum autem ad vescendum venerint, sedebunt per ordinem statutis locis et operient capita.

XXX. Statimque cum tibi a majore fuerit imperatum, ut de alia mensa ad aliam transire debeas, in nullo penitus contradices. Nec audeas ante præpositum domus tuæ manum in mensam extendere: nec circumspicias alios vescentes.

XXXI. Unusquisque præpositorum docebit in domo sua, quomodo debeant cum disciplina et mansuetudine comedere. Quod si quis vel locutus fuerit, vel riserit in vescendo, aget pœnitentiam, et in eodem loco protinus increpabitur: stœbitque, donec alius surgat de vescentibus².

XXXII. Si quis ad comedendum tardius venerit, excepto majoris imperio, similiter aget pœnitentiam aut ad domum jejunos revertetur.

XXXIII. Si aliquid necessarium fuerit in mensa, nemo audebit loqui, sed ministrantibus signum sonitu dabit.

XXXIV. Si egressus fueris a cibo, non loquaris in redeundo, donec ad locum tuum pervenias.

XXXV. Ministri absque his, quæ in commune fratribus præparata sunt, nihil aliud comedant, nec mutatos cibos, sibi audeant præparare.

XXXVI. Qui percutit ad vescendum et congregat³ fratres, meditetur aliquid in percutiendo.

XXXVII. Qui ante fores convivii egredientibus

¹ Malim equidem, a Præposito, et statim post. quid aut quantum pro quibus.

² Verius puto veteres editi, donec alii surgant de vescendo, scilicet ad mensæ usque finem.

³ Editi veteres, dum congregantur; illud vero percutere, est signum, aliquid percutiendo, dare.

A erogat fratribus tragematia⁴, in tribuendo meditetur aliquid de Scripturis.

XXXVIII. Qui suscipit ea quæ dantur, non in cucullo, sed in pelle accipiat; neque gustabit ante de his quæ acceperit, donec ad domum perveniat.

XXXIX. Ipse autem, qui cæteris dividet, suam partem a præposito accipiet. Quod et cæteri ministri faciant accipientes ab alio, et nil sibi suo arbitrio vindicantes. Ea quæ acceperint, per triduum eis sufficient: et si cui residuum fuerit, reportabit ad præpositum domus, et ille reponet in cellario, donec misceatur cum aliis, et cunctis fratribus præbeatur.

XL. Nemo plus alteri dabit, quam alter acceperit; quod si obtenditur infirmitas, præpositus domus perget ad ministros ægotantium, et ab his quæ necessaria sunt accipiet.

XLI. Si de ipsis ministris aliquis languerit, non habebit licentiam introeundi in coquinam vel cellarium, et sibi aliquid auferendi: sed cæteri ministri, id quod ei necessarium viderint, dabunt: nec permittetur coquere sibi quod desideraverit, sed præpositi domorum quæ necessaria viderint ei, ab aliis ministris accipient.

XLII. Nullus introeat locum ægotantium qui non ægotat. Qui ægotaverit, a præposito domus ducetur in triclinium ægotantium: et si opus habuerit palliolo, aut tunica, aut cæteris, quæ ad operiendum, vel ad vescendum necessaria sunt, ipse præpositus accipiat a ministris, et dabit ægotantibus. Nec poterit languidus ingredi cellam vescentium, et comedere quæ desiderat, nisi a ministro, qui huic rei præpositus est, ducatur ad vescendum.

XLIII. Non ei licebit de his quæ acceperit in loco ægotantium, ferre ad cellam suam, ne pomum quidem.

XLIV. Qui pulmentaria coquunt, ipsi vicissim ministrantibus et vescentibus ministrabunt⁵.

XLV. Vinum et liquamen absque loco ægotantium nullus contingat.

XLVI. Si aliquis eorum qui peregre mittuntur, in itinere, vel in navi⁶ ægotaverit, et habuerit necessitatem sive desiderium comedendi liquamen de piscibus, vel aliarum rerum, quæ in monasterio comedere consueverunt, non manducabit cum fratribus cæteris, sed separatim: et dabitur ei a ministris ad omnem abundantiam, ne in ullo frater languidus contristetur.

XLVII. Ægotantem absque concessione majoris nullus audeat visitare; nec propinquus quidem atque germanus sine imperio præpositi domus ingrediendi habebunt potestatem.

⁴ Idem dulciamina pro tragematia.

⁵ Princeps edit., ipsi nihil edentibus (ad marg. fort. edentes) ministrabunt. Ciacconius, ipsi nihil gustantes, edentibus ministrabunt.

⁶ Idem in via pro navi, et paulo post cum ne-

XLVIII. Si unum ex his ab aliquo fuerit prætermissum atque neglectum, increpatione solita emendabitur.

XLIX. Si quis accesserit ad ostium monasterii volens sæculo renuntiare, et fratrum aggregari numero, non habebit intrandi libertatem, sed prius nuntiabitur Patri monasterii, et manebit paucis diebus foris ante januam, et docebitur orationem Dominicam ac Psalmos, quantos poterit ediscere: et diligenter sui experimentum dabit, ne forte mali quidpiam fecerit, et turbatus ad horam timore discesserit, aut sub aliqua potestate sit: et utrum possit renuntiare parentibus suis, et propriam contemnere facultatem. Si enim viderint aptum ad orationem et ad omnia, tunc docebitur et reliquas monasterii disciplinas, quas servare debeat et facere, quibusque servire, sive in collecta omnium fratrum, sive in domo cui tradendus est, sive in vescendi ordine; ut instructus, atque perfectus in omni opere bono, fratribus copuletur. Tunc nudabunt eum vestimentis sæcularibus, et induent habitu monachorum, tradentque ostiario, ut orationis tempore adducat eum in conspectum omnium fratrum: sedebitque in loco, in quo ei præceptum fuerit. Vestimenta autem, quæ secum detulerat, accipient qui huic rei 63 præpositi sunt, et inferent in repositorium, et erunt in potestate principis monasterii.

L. Nemo manens in monasterio suscipiendi quempiam ad vescendum habeat potestatem: sed is mittet eum ad ostium xenodochii, ut suscipiatur ab his qui huic rei præpositi sunt.

LI. Quando ad hostium monasterii aliqui venerint, si clerici fuerint aut monachi, majori honore suscipiantur: lavabuntque pedes eorum, juxta [Al. servabunt] Evangelii præceptum, et deducunt ad locum xenodochii, præbebuntque omnia quæ apta sunt usui monachorum. Quod si voluerint orationis tempore atque collectæ venire ad conventum fratrum, et [Al. si] ejusdem fidei fuerint, janitor vel minister xenodochii nuntiabit Patri monasterii, et sic deducuntur ad orandum. Si homines sæculares, aut debiles, aut vasa infirmiora, id est, mulierculæ venerint ad ostium, et orandum¹, suscipient singulos in diversis locis, juxta ordinem propositi et sexus sui; præcipueque feminas majori honore et diligentia curabunt, cum omni timore Dei, et locum separatam ab omni virorum vicinia eis tribuent, ut nulla sit occasio blasphemandi. Quod si ad vesperam venerint, abigere eas nefas est; sed accipient, ut diximus, separatam locum et clausum cum omni disciplina atque cautela: ut grex fratrum libere suo officio serviât, et nulli detur offendiculum detrahendi.

LII. Si quis ante ostium steterit monasterii, dicens se velle videre fratrem suum, vel propin-

quum, janitor nuntiabit Patri monasterii, et ille accitum interrogabit præpositum domus, utrumnam apud eum sit; et permittente eo, accipiet comitem egressionis suæ, cujus fides probata est, et sic mittetur ad fratrem videndum, vel ad proximum. Si forte ei aliquid attulerit ciborum, quibus in monasterio vesci licitum est, suscipere ipse non poterit, sed vocabit janitorem, et ille allata accipiet; quæ si talia fuerint [Al. quæ], ut cum pane vescenda sint, nihil eorum is cui allata sunt, accipiet: sed cuncta ad loca ægrotantium deferentur. Si vero sint tragematia, vel poma, dabit ei janitor ex his comedere quæ poterit; et cætera ad cellam languentium deportabit. Ipse autem nihil ex his quæ allata sunt gustare 65 poterit, sed reddere ei qui attulit, sive lapsaria, quod genus herbarum est viliorum, sive panes, sive olera præmordica. Eos autem cibos, quos allatos a parentibus vel propinquis diximus tales esse qui comedi cum pane debeant, is cui allati sunt deducetur a præposito domus ad cellam ægrotantium, et ibi semel tantum ex his comedet: cætera autem erunt in manu ministeri ægrotantium. Ipse quoque minister de his comedere non poterit.

LIII. Si fuerit nuntiatum, quod de propinquis eorum atque cognatis qui in monasterio commorantur, aliquis ægrotet, janitor primum nuntiabit Patri monasterii, et ille accitum interrogabit præpositum domus. Videbuntque virum, cujus fides et disciplina probata sit, et mittent cum eo, visitet ægrotantem, tantumque accipiet viatici, quantum præpositus domus ejus decreverit.

LIV. Quod si necessitas impulerit, ut foris maneat, et vescatur in paterna sive propinquorum domo, nequaquam hoc faciat; sed manebit vel in Dominico, vel in monasterio ejusdem fidei. Et si eis affices vel cognati præparaverint cibos, et apposuerint, non accipient omnino, nec vescentur nisi his, quæ in monasterio comedere consueverunt. Non gustabunt liquamen, neque vinum bibent nec aliud quidpiam, quorum edendi consuetudinem non habent. Si a parentibus quidpiam acceperint, tantum comedent quantum in via sufficiat; cætera quæ remanserint, dabunt præposito domus suæ, et ille deportabit ea in cellam languentium.

LV. Si propinquus alicujus, aut consanguineus mortuus fuerit, prosequendi funus non habebit licentiam [Al. potestatem], nisi Pater monasterii præceperit.

LVI. Nullus solus foras mittatur ad aliquod negotium, nisi juncto ei altero.

LVII. Quando autem reversi fuerint in monasterium, si viderint ante ostium quærentem aliquem suorum affinium de his qui in monasterio commorantur, non audebunt ire ad eum, et nuntiare, vel

¹ *gandi particula, comedere non consueverunt.*

² *In veteribus vulgatis verba et orandum, verius puto, non habentur,*

vocare. Et omnino quidquid foris gesserint, et audierint, in monasterio narrare non poterunt.

LVIII. Si signum datum fuerit, ut egrediantur ad opus, præpositus antecedit eos; et nullus in monasterio remanebit, nisi is cui Pater præceperit. Et 65 hi qui pergunt, non interrogabunt quo vadant.

LIX. Cumque universæ domus in unum fuerint congregatæ, prioris domus præpositus omnes antecedit, et pergunt juxta ordinem domorum et hominum singulorum. Nec loquenter mutuo, sed unusquisque de Scripturis aliquid meditabitur. Si forte eis aliquis occurrerit, et voluerit cum aliquo eorum loqui, janitor monasterii, qui huic operi delegatus fuerit, occurret et respondebit ei, eoque utentur nuntio. Si janitor coram non fuerit, præpositus domus, vel alius cui hoc fuerit injunctum, occurrentibus respondebit.

LX. Operantes nihil loquentur sæculare; sed aut meditabuntur ea quæ scripta sunt¹, aut certe silebunt.

LXI. Nemo palliolum lineum tollet secum vadens ad operandum, nisi forte concessione majoris: ipsoque palliolo in monasterio ambulans post collectam nullus utetur.

LXII. Operans non sedebit sine majoris imperio.

LXIII. Ductores fratrum in itinere, si necessarium habuerint aliquem mittere, sine præpositi jussione non poterunt. Quod si ipse qui ductor est cogere[retur] [Al. cogitur] necessitate ire ad aliquem locum, officium suum ei qui post se est in ordine, C delegabit.

LXIV. Missi fratres, vel foris constituti, si absque monasterio vescentur, hebdomadarius qui eos sequitur, dabit cibos absque coctione pulmenti; et ipse aquam circumferet et juxta vitrum²; nullusque surgendi, vel hauriendi, vel bibendi habebit potestatem.

LXV. Quando revertuntur in monasterio, nemo ex ordine remanebit.

LXVI. Cum a domus suas pervenerunt, ferramenta quibus opus fecerunt, et gallicas tradent ei, qui secundus est post præpositum domus; et ille inferet ea vespere in cellulam separatam, ibique concludet. Omnia autem ferramenta, hebdomade completa, reportabuntur in unam domum; et rursus qui succedunt hebdomade, singulis domibus noverint quid distribuant.

LXVII. Levitonarium et quidquid in veste est monachorum, nemo lavet in die Dominica, præter nautas et pristrinarios.

LXVIII. Nec vadant ad lavandum 66 nisi omnibus unum signum insonuerit; sequenturque præpositum suum, et lavabunt taciti cum disciplina.

¹ Secus veteres vulgati, quæ sancta sunt.

² Malim, expuncta et particula, juxta virum legi,

LXIX. Nemo lavet retractis in altum vestibus plus quam statutum est; cumque laverint, omnes pariter revertentur. Si quis remanserit eo tempore quo ibitur ad lavandum, vel in præsentem non fuerit, commonebit præpositum suum, et ille mittet cum eo alterum: et sic loto vestimento revertentur domum.

LXX. Vesperi sicca levitonaria tollent, et dabunt secundo, id est ei qui post præpositum est, et ille reponet ea in cellula.

LXXI. Quod si sicca non fuerint, altera die expandentur ad solem, donec siccentur: nec dimittentur in ardore solis plus quam in horam tertiam; cumque collecta fuerint, leviter mollientur.

LXXII. Nec tenebunt ea singuli apud se, sed dabunt, ut reponantur in cellam usque ad Sabbatum.

LXXIII. Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

LXXIV. Palmarum solia, ex quibus texuntur sportæ, nemo suo jure tollet, absque eo cui palmæ creditæ sunt.

LXXV. Nullus uvæ aut spicus adhuc immaturas comedere audeat præter ordinem disciplinæ: et omnino de omnibus quæ in agro sunt, vel in pomariis, nemo comedat separatim, antequam cunctis fratribus pariter exhibeantur³.

LXXVI. Qui coquet [Al. coquent], antequam fratres comedant, non gustabit [Al. audebunt edere].

LXXVII. Qui super palmas est non comedet de fructibus earum, nisi prius fratres comederint.

LXXVIII. Si jussi fuerint palmarum fructus colligere, præpositus colligentium dabit in eodem loco singulis ad vescendum modica: et cum ad monasterium venerint, inter cæteros fratres partes suas accipient. Si autem invenerint sub arboribus poma cecidisse, comedere non audebunt, sed reperta in transitu juxta radices arborum collocabunt. Ipse quoque, qui cæteris colligentibus distribuit, gustare non poterit; sed portabit ad dispensatorem, qui cum cæteris dederit fratribus, et ipsi tribuat partem suam.

LXXIX. Nullus in cellula sua reponat aliquid ad vescendum, absque his quæ a dispensatore acceperit.

LXXX. De parvulis autem panibus, qui dantur domorum præpositis, ut his eos distribuant, qui nolunt in commune 67 vesci cum cæteris, et quasi majori abstinentiæ se dedicant, ita observare debent, ut nulli dent juxta gratiam, ne proficiscenti quidem peregre. Nec ponantur in medium: sed quando comedere volunt, cum disciplina dabuntur in cellulis, et cum his nihil aliud comedent, nisi salem tantum. Præter monasterii autem co-

quod est juxta singulorum ordinem, non vitrum.

³ Status, par exhibeat: alii verius, pater exhibeat.

quinam nullus coquendi cibus potestatem habeat. A Et si quando forie vadant, hoc est in agros ad operandum accipiant olera sale acetoque condita, et in longos usus æstatis tempore præparata.

LXXXI. Nemo in domo et in cellula sua habeat præter ea quæ in commune monasterii lege præcepta sunt: non tunicam laneam, non pallium, non pellem intonsis arietum lanis molliorem, non paucos nummos, non puvillum¹ quidem ad caput aut aliud variæ suppellectilis: exceptis his, quæ a Patre monasterii per domorum præpositos dividuntur, id est, armatura sua, levitonariis duobus, et uno attrito ex usu, sabano (*scil.* linteo) longiore quod collo humerisque circumdat, pellicula quæ pendet ex latere, gallicis et cucullis duobus, zona et bacello. Præter hæc quidquid inveneris, absque B contradictione auferes.

LXXXII. Nullus habeat separatim mordacem parvulam (*leg.* pavulam) ad evellendas spinas, si forte calcaverit, absque præposito domus et secundo: pendeatque in fenestra in qua codices collocantur.

LXXXIII. Si quis de altera domo transfertur in alteram, exceptis his quæ supra diximus², secum transferre nihil poterit.

LXXXIV. Nullus neque exeundi in agrum, neque ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterii foras habeat facultatem, nisi interrogaverit præpositum, et ille concesserit.

LXXXV. Cavendum ne quis de domo in alteram domum verba transferat, nec de monasterio in C monasterium, nec de monasterio in agrum, nec de agro in monasterium.

LXXXVI. Si quis ambulaverit in via, vel navigaverit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in monasterio quæ ibi geri viderit.

Ⓢ LXXXVII. Nemo dormiens supponat, nisi reclinet in cellula sua³, quæ ei fuerit mancipata. Nec in cella, nec in domatibus, in quibus vitandorum æstuum causa nocte requiescunt, nec in agris cum ad dormiendum se collocaverit, alteri non loquetur, postquam obdormierit. Si post somnum noctu evigilaverit, oret; si sitire cœperit, jejunii autem instat dies, bibere non audebit.

LXXXVIII. Præter psiathium, id est mattam, in loco cellulæ ad dormiendum nihil aliud omnino D substernet.

LXXXIX. Cellulam alterius, nisi prius ad ostium percusserit, introire illicitum est.

XC. Ad cibum non pergat nisi generali sonitu

convocentur; nec ambulabunt in monasterio priusquam commune signum intonuerit.

XCI. Absque cucullo et pellicula nemo ambulet in monasterio nec pergat ad collectam, nec ad vescendum.

XCII. Vespere ad ungendas et molliendas ab opere manus oleo, absque altero ire non poterit. Totum autem corpus nemo unguet, nisi causa infirmitatis; nec lavabitur aqua nudo corpore, nisi languor perspicuus sit.

XCIII. Nullus lavare alterum poterit, aut ungere, nisi ei fuerit imperatum.

XCIV. Nemo alteri loquatur in tenebris: nullus in psiathio cum altero dormiat: manum alterius nemo teneat; sed sive steterit, sive ambulaverit, sive sederit, uno cubito distet ab altero.

XCV. Spinam de pede alterius, excepto domus præposito, et secundo, et alio cui jussum fuerit, nemo audebit evellere.

XCVI. Nullus attondeat caput absque majoris arbitrio.

XCVII. Mutare de his quæ a præposito acceperit, cum altero non audebit: nec accipiet melius, et dabit deterius: aut e contrario dans melius et deterius accipiens. Et in vestimento et in habitu suo nihil novi præter cæteros causa decoris inveniet.

XCVIII. Omnes pelles ligatæ erunt, et pendebunt ex humeris.

XCIX. Cuculli singulorum habebunt et monasterii signa et domus.

Ⓢ C. Nemo vadens ad collectam aut ad vescendum dimittat codicem non ligatum. Codices qui in fenestra, id est intrinsecus parietis reponuntur ad vesperum, erunt sub manu secundi, qui numerabit eos, et ex more concludet.

CI. Nullus vadat ad collectam vel ad vescendum habens galliculas in pedibus, vel palliolo lineo invittatus, sive in monasterio, sive in agris.

CII. Qui vestimentum suum plus quam usque ad meridiem, quando fratres convocantur ad cibum, in sole esse permiserit, negligentiam increpabitur.

CIII. Et si unum de his quæ supradicta sunt, contemptum præterierit, correptione simili corrigetur.

CIV. Galliculas, et si quid aliud jungendum est vel componendum, absque eo cui hoc ministerium delegatur a præposito domus, facere nullus audebit.

¹ Pro his habent vulgati veteres, *nec proprium aliquid extra habitum suum.*

² Explicant iidem libri, *quæ usui quotidiano, ad habitum necessaria sunt.*

³ Statius, qui e ms. legit *Non dormiat præter redine cellulam*, conjecerat satis ingeniose emend. *reclinem sellulam.* Sed mapo in reliquis contextu, restitui locus non potuit. Nunc illa conjectura fa-

cem præferente, sic velim ex integro refici: *Nemo dormiens supponat nisi reclinem sellulam. Nec in cella sua, quæ ei fuerit mancipata, nec in domatibus, in quibus, etc.* Palladius a Statio laudatus, *Καθεδίστῳσαν δὲ μὴ ἀνακλινόμενοι, ἀλλὰ θρόνους οἰκοδομητοὺς ὑπὸ πτωτέρους πεποιηκότας, etc.* *Somnum vero capiant non jacentes, sed super instructas et paululum reclines cathedras, etc.*

CV. Si quis fratrum læsus fuerit aut percussus, et tamen lectulo non discumbet [*Al. decumbit*], sed deambulat invalidus, et aliqua re indigebit, vestimento videlicet, vel palliolo, et cæteris utensilibus, præpositus domus ejus vadet ad eos, quibus fratrum vesticulæ commissæ sunt, et accipiet et dabit ¹. Cumque sanus fuerit, reportabit absque ulla mora.

CVI. Nemo ab altero accipiet quidpiam, nisi præpositus jusserit.

CVII. Clausa cella nullus dormiat, nec habebit cubiculum quod claudi possit, ni forte ætati alicujus vel infirmitati Pater monasterii concesserit.

CVIII. In villam nullus vadat nisi missus, exceptis armentariis, et bubulcis, et agricolis.

CIX. Sub nudum dorsum asini duo pariter non sedebunt, nec super tegmine plaustris ².

CX. Si asino sedens venerit aliquis, excepta infirmitate, desiliet ante fores monasterii, et sic asinum præcedens, funiculo ducet ad manum.

CXI. Ad tabernulas [*Al. affcinas*] diversarum artium soli pergant præpositi, ut accipiant quod necessarium est.

CXII. Ipsi [*Al. ipse*] quoque ante meridiem, quando fratres ad vescendum vocantur, ire non poterunt, nisi forte quævis incumbat necessitas, et consilio Patris monasterii mittet hebdomadarius, ut deferat quod necesse est. Et omnino ³ absque jussione majoris in alteram cellam nullus audebit introire.

CXIII. Commendatum etiam aliquid a germano ^C fratre nullus accipiet.

CXIV. Nihil in cella sua absque præpositi jussione quispiam condet, nec poma quidem vilissima ⁴. et cætera hujusmodi.

CXV. Si præpositus domus alterius quoquam profectus fuerit alius præpositus ⁵ dux erit ejusdem gentis, et tribus geret curam proficiscentis, et ejus utetur potestatibus, ac sollicite omnia faciet: doctrinamque duorum jejuniorum ita dividet, ut unam in sua, domo, alteram in proficiscentis exercent.

CXVI. Quando farinam conspergunt aqua, et massam subigunt, nemo loquatur alteri. Mane quoque quando tabulis ad furnum vel ad clibanos deportant panes, simile habebunt silentium, et tantum de Psalmis et de Scripturis aliquid decantabunt [*Al. meditabuntur*], donec opus impleatur. Si quid necessarium habuerint, non loquentur,

¹ Voculas et dabit ex principe editione suffecimus.

² Rursus eadem cum antiquis editionibus, idque verius, ut videtur super temonem plaustris.

³ Isthæc vilissima et cætera hujusmodi al. non habentur.

⁴ Idem addunt, aut qui secundus est; tum legunt, curam proficiscentis exercent, vel quem ipse præpositus elegerit de fratribus, et curam ei suam in-

A sed signum dabunt his qui possunt afferre, quibus indigent.

CXVII. Quando ad miscendam farinam vocati fuerint, nullus resideat in loco panes coquentium, exceptis his qui coctioni sufficient, et quibus jussum est, nemo residebit.

CXVIII. In navibus quoque similis disciplina est. Nemo autem a terra solvet funiculum ⁶ absque jussione Patris, ne lembum quidem.

CXIX. In loco sentinæ et interiore parte navis, cæteris fratribus super transtra et tabulata quiescentibus, nullus dormiat, et sæculares homines dormire secum in navi nemo patietur. Vasa infirmiora cum cæteris eis non navigabunt; nisi forte Pater monasterii præceperit [*Al. præcepit*]

B CXX. Nullus in nomo sua audebit focum facere, nisi in commune omnibus succendatur.

CXXI. Qui una oratione de sex orationibus vespertinis tardius venerit, vel qui mussitaverit, et locutus fuerit ad alterum vel subriserit in reliquis orationibus, constituto ordine aget pœnitentiam.

CXXII. Quando domi sedebunt, non eis liceat loqui aliquid sæculare: sed si quid præpositus de Scripturis docverit, vicissim inter se ruminent, et referant quæ quis audierit, vel quæ memoriter teneant.

⁷ CXXIII. Nemo quidquam operis faciet, nec scyphos plenos aqua circumferet, nec funiculum quidem torquebit, nisi præpositus jusserit.

CXXIV. Nemo juncos infusos in aqua sibi tollet ad operandum, nisi magister hebdomadis ei dederit.

CXXV. Qui vas fictile fregerit ⁸, et juncos tertio infuderit, aget pœnitentiam vespere in sex orationibus.

CXXVI. Post sex orationes quando ad dormiendum omnes separantur, nulli licebit, excepta causa necessitatis, egredi cubiculum suum.

CXXVII. Si frater dormierit, omnis eum fraternitas prosequatur. Nemo ⁹ permaneat absque majoris imperio, nec psallat nisi ei jussum fuerit: nec post alterum psalmum jungat alterum sine præpositi voluntate.

CXXVIII. Duo simul tempore luctus non psallent, nec pallio circumdabuntur lino (*Fortè* lineo). Nec quisquam erit qui psallenti non respondeat, sed jungetur et gradu, et voce consona.

CXXIX. Qui est infirmus, in funere habebit

junxerit.

⁶ Statius, *navigium funiculum*; alii editi, *navigii funiculum*: sed *ne lembum quidem*, et, *In loco sentinæ* pariter desiderantur.

⁸ Princeps editio, *vel aliquam utilitatem adversus monasterii* (leg. *vel aliquam rem utilem, ad usum monasterii*).

⁹ Veteres editi, *Nemo exeat foras, nemo loquatur, nemo remaneat, etc.*

ministrum qui eum sustentet, et omnino ad quem-
cunque locum missi fuerint fratres, de hebdo-
madariis habebunt eos qui ægrotantibus ser-
vant, si forte in itinere vel in agro languor obrep-
serit.

CXXX. Nemo ante præpositum et ducem suum
ambulet: nullus remaneat ab ordine suo.

CXXXI. Si quis aliquid perdiderit, ante altare
publice corripietur. Si vero de propriis vesticulis
fuerit quod perditum est, tribus hebdomadis non
accipiet; et in quarta acta pœnitentia dabitur ei
quod amiserit.

CXXXII. Qui invenerit aliquid, per tres dies
ante collectam fratrum suspendet, et [Forte ut]
tollat qui cognoverit.

CXXXIII. Cunctis increpationibus atque doctri-
nis, quarum scripta est et constituta, correptio
præpositi sufficiet, et quid autem novi fuerit in
delicto: referet ad principem monasterii.

72 CXXXIV. Lotum in domo nullus faciat
absque eo; et omne quod novum est illius sen-
tentia disponetur.

CXXXV. Omnis correptio ita fiat, ut distincti¹
sint qui corripuntur; stentque in majori colle-
cta, et in vescendi loco.

CXXXVI. Qui absque commonitione fratrum re-
cesserit, et postea acta pœnitentia venerit, non
erit in ordine suo absque majoris imperio.

CXXXVII. Præpositus domus et dispensator si

¹ Eadem *disjuncti*, ad margin. *distincti*, quam Sta-
tij conjecturam editores alii secuti sunt, qui item C
sic legunt reliqua hujus capituli, « Qui corripuntur,
dimissis (l. demissis) manibus, et humiliato

A una nocte absque fratribus dormierit: et postea
acta pœnitentia ad conventum venerit fratrum,
non ei permittetur, ut introeat domum, aut stet in
ordine suo absque majoris imperio.

CXXXVIII. Omne quod in conventu fratrum
audierunt disputatum, necessitate cogentur, ut
inter se replicent, jejuniorum maxime tempore,
quando a suis docentur præpositis.

CXXXIX. Qui rudis monasterium fuerit ingros-
sus, docebitur prius quæ debeat observare: et
cum doctus ad universa consenserit, dabunt ei
viginti Psalmos et duas Epistolas Apostoli, aut
alterius Scripturæ partem. Et si litteras ignorave-
rit, hora prima, et tertia et sexta vadet ad eum,
qui docere potest, et qui ei fuerit delegatus, et
stabit ante illum, et discet studiosissime, cum
omni gratiarum actione.

CXL. Postea vero scribentur ei elementa, sylla-
bæ, verba, ac nomina: et etiam nolens legere com-
pelleatur, et omnino nullus erit in monasterio, qui
non discat litteras, et de Scripturis aliquid
teneat: qui minimum usque ad novum Testa-
mentum et Psalterium.

CXLI. Ad collectam, et ad psallendum et oran-
dum nullus sibi occupationes² inveniat, quibus se
dicat occupatum quasi ire non possit.

CXLII. Et si in navi fuerit, et in monasterio, et
in agro, et in itinere, et in quolibet ministerio,
orandi et psallendi tempora non prætermittat.

capite emendaturos se promittentes vitia, in qui-
bus arguuntur, veniam deprecentur. »

² Idem, *nemo sibi occasiones inveniat.*

PRÆCEPTA ET INSTITUTA S. P. N. PACHOMII.

Quomodo collecta fieri debeat, et fratres congregandi sint ad audiendum sermonem Dei, juxta præcepta
majorum et doctrinam sanctarum Scripturarum, ut liberentur de errore animæ¹, et glorificent Deum in luce
viventium, et [Al. ut] sciant quomodo oporteat in domo Dei conversari sine ruina et scandalo, ut non inebri-
entur aliqua passione, sed stent in mensura veritatis, et traditionibus apostolorum et prophetarum: et solem-
nitatum ordinem teneant, imitantes conversationem [Al. congregationem] eorum in domo Dei, et jejunia
atque orationes ex more complentes. Qui enim bene ministrant sequuntur regulam Scripturarum.

73 CXLIII. Hoc est ergo ministerium quod D
Ecclesiæ ministri exercere [Al. implere] debebunt.
Congregent fratres orationis tempore, et omnia
faciant quæ rite complenda sunt, nullam [Al. ut
nullam] detractioni occasionem tribuant, nec
sint ambulare quempiam contrarium disci-
plina.

CXLIV. Si codicem postulaverint, deferant
eis.

CXLV. Si quis de foris venerit vespero, et non

occurrerit accipere opus quod altera die facturus
est, mane ei tribuatur.

CXLVI. Si defecerit opus quod habebat in ma-
nibus, referat ad majoris scientiam [Al. senten-
tiam], et quod ille præceperit, faciat.

CXLVII. Qui minister est habeat studium ne
quid operis pereat in monasterio in ulla omnino
arte quæ exercetur a fratribus. Quod si quid
perierit, et negligentia fuerit dissipatum, increpa-
bitur a Patre minister operum singulorum, et

¹ Statiana editio, *animæ conversorum*, etc.

ipse rursus increpabit alium, qui opus perdiderit; A duntaxat juxta voluntatem et sententiam principis, absque quo nullus increpandi fratrem habebit potestatem.

CXLVIII. Si vestimentum ad solem expansum tertius invenerit dies ¹, dominus pro eo increpabitur, et agat pœnitentiam publice in collecta ², Pellicula et galliculæ, et cingulum, et si quid aliud perierit, qui perdiderit increpabitur.

CXLIX. Si quis tulerit rem non suam, portet [Al. ponetur] supra humeros ejus, et agat pœnitentiam publice in collecta, stabitque in vescendi loco ³.

CL. Si inventus fuerit unus e fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens majoris imperio, increpabitur ⁷⁴ juxta mensuram peccati sui.

CLI. Qui mentitur, aut qui odio quemquam habere fuerit deprehensus, aut inobediens, aut plus joco quam honestum est deditus, aut otiosus, aut dure respondens, aut habens consuetudinem fratribus detrahendi, vel his qui foris sunt, et omnino quidquid contra regulam Scripturarum est et monasterii disciplinam, audiet Pater monasterii, et vindicabit juxta mensuram opusque peccati.

CLII. Præpositus domus culpæ et increpationi subiacebit, si ante tres dies non nuntiaverit Patri; sive in via, sive in agro, sive monasterio quid perierit: agetque publice pœnitentiam juxta ordinem constitutum. Et si homo fugerit, et ante tres horas non nuntiaverit Patri, reus erit perditionis ejus: C nisi tamen eum rursus invenerit.

CLIII. Hæc est ultio in eum qui fratrem de domo perdiderit: tribus diebus aget publicam pœnitentiam; quod si eadem hora nuntiaverit Patri, in qua fugit, reus non erit.

CLIV. Peccatum si in domo sua præpositus viderit, et non statim increpaverit delinquentem, nec nuntiaverit Patri monasterii, ipse increpationis ordini subiacebit.

CLV. Per domos singulas vespere sex orationes Psalmosque complebunt, juxta ordinem majoris collectæ, quæ a cunctis fratribus in commune celebratur.

CLVI. Per singulas hebdomadas binæ disputationes, id est catecheses, a præposito complebuntur. D

CLVII. Nullus in domo quippiam faciet, nisi quod præpositus jusserit.

⁷⁵ CLVIII. Si omnes fratres qui in una domo

¹ Vocem *dies*, quemadmodum alias supra atque infra levioris momenti, ex principe editione supplevimus.

² Eadem editio addit, *stabitque in vescendi loco*.

³ Iterum eadem editio addit: « Si autem in furto fuerit deprehensus, triginta sex [al. triginta novem] verberabunt eum, et foris dabitur ei edere panem et aquam tantum, et opertum cilicio et cinere per

sunt, viderint præpositum nimium negligentem, aut dure increpantem fratres, et mensuram monasterii excedentem, referent ad Patrem, et ab eo increpabitur. Ipse autem præpositus nihil faciet, nisi quod Pater jusserit, maxime in re nova. Nam quæ ex more descendit, servabit regulas monasterii.

CLIX. Præpositus non inebrietur: non sedeat in humilioribus locis juxta vasa monasterii, ne rumpat vincula, quæ Deus in cælo condidit, ut observentur in terris. Ne lugeat in die festo Domini Salvatoris. Dominetur carni suæ juxta mensuram sanctorum. Non inveniatur in excelsis cubilibus imitans [Al. imitatus] morem gentilium. Non sit duplicis fidei. Non sequatur cordis sui cogitationes, sed legem Dei. Non resistat sublimioribus tumentis animo potestatibus. Non fremat, neque hirriat ⁴ super humiliores. Non transferat terminos. Non sit fraudulentus, neque in cogitationibus verset dolos. Ne negligat peccatum animæ suæ ⁵. Ne vincatur carnis luxuria. Non ambulet negligenter. Non cito loquatur verbum otiosum. Non ponat scandalum ante pedes cæci. Non doceat voluptatem animam suam. Non resolantur [Al. solvatur] risu stultorum ac joco. Non rapiatur cor ejus ab his qui inepta loquuntur et dulcia. Non vincatur muneribus. Non parvulorum sermonem ⁶ ducat. Ne affligatur in tribulatione. Ne timeat mortem, sed Deum. Ne prævaricator sit propter imminentem [Al. eminentem] timorem. Non relinquat verum lumen propter modicos cibos. Non nutet ac fluctuet in operibus suis. Non mutet sententiam, sed firmi sit solidique decreti, justeque cuncta considerans, judicans in veritate, absque appetitu gloriæ, manifestus Deo et hominibus, et a fraude procul [Al. elongans se a fraude]. Ne ignoret conversationem sanctorum, nec ad eorum scientiam cæcus existat. Nulli noceat per superbiam: nec ⁷⁶ sequatur concupiscentias oculorum suorum. Non cum superent incentiva vitiorum. Veritatem nunquam prætereat. Oderit injustitiam: secundum [Al. sed] personam nunquam judicet pro muneribus, nec condemnet animam innocentem per superbiam. Non rideat inter pueros. Non deserat veritatem timore superatus. Non comedat panem de fraudulentia. Non desideret alienam terram. Non opprimat animam propter aliorum spolia. Non despiciat eos qui indigent misericordia. Ne falsum dicat testimonium seductus lucro. Ne mentiatur propter superbiam. Ne contendat contra veritatem ob tumorem animi. Ne deserat justitiam propter lassitudinem. Ne perdat

singula orationum tempora cogent eum agere pœnitentiam. Eadem lex in fugitivis observabitur. »

⁴ Veteres vulgati *inruat*. HIRRIRE autem, qui proprie canum est fremitus cum irritantur, usurpat Sidonius in epistolis.

⁵ Addunt editi vetustiores *excirpare*.

⁶ Idem vereris, *simone ducatur*.

animam suam propter verecundiam. Ne respiciat dapes lautioris mensæ. Ne pulchra vestimenta desideret. Ne se negligat, ut semper dijudicet cognitiones suas¹. Ne inebrietur vino; sed humilitatem habeat junctam veritati. Quando judicat, sequatur præcepta majorum et legem Dei, quæ in toto orbe prædicata est. Si quidquam de his præterierit, reddetur ei mensura juxta quam mensus est, et recipiet secundum opera sua, quia mœchatus est, in ligna sua et lapides²: et propter fulgorem auri, et splendorem argenti dimisit judicium, et desiderio temporalis lucri laqueis se induit ethnichorum (*Jerem.* III). Et veniet³ ei contritio Heli et filiorum ejus (*I Reg.* IV); maledictio David, quam imprecatus est Doech (*Psal.* LI); signum quo donatus est Cain (*Gen.* IV); sepultura asini, de qua loquitur Jeremias (cap. XXII); perditio qua peccatores terræ hiatus absorbit (*Num.* XVI), et interitus Chananæorum, et contritio hydriæ ad fontem, et arenarum comminutio in littoribus et saxis, quæ fluctibus verberantur⁴ (*Eccle.* XII); et confractio virgæ gloriøsæ de Isaia, ut sit quasi cæcus manu palpans parietem (*Isa.* V et LIX). Hæc omnia ei evenient, qui non servavit veritatem in judicio, et inique [*Al.* iniquæ] egit in omnibus quæ ei credita sunt.

¹ Alio sensu, eoque rursus concinniori, olim erat: *Ne senes negligat: semper dijudicet cogitationes suas.* Mox quoque alia interpunctione, *humilitatem junctam habeat veritati, quando judicat. Sequatur, etc.*

² Olim in ligno et lapide, et paulo post iniquorum

pro ethnichorum.

³ Holstenius *veniat*, et deinde *ramorum* pro *filiorum*.

⁴ Editi antiquiores, *in littoribus, quæ salsis fluctibus verberantur.*

PRÆCEPTA ATQUE JUDICIA S. P. N. PACHOMII.

77 CLX. Plenitudo legis charitas, scientibus tempus, quia jam instet hora, ut de somno consurgamus, et vicinior sit salus [*Al.* salus nostra] quam eo tempore quo credidimus. Nox præcessit, dies appropinquavit: deponamus opera tenebrarum (*Rom.* XIII, 10-12); quæ sunt contentiones, detractiones, odia, et tumentis animi superbia. Qui facilis est detrahendum, dicitque quod non est, si in hoc peccato fuerit deprehensus, monebunt eum secundo; et si audire contempserit, separabitur extra conventum fratrum septem diebus, et panem tantum cum aqua accipiet, donec polliceatur atque confirmet se ab hoc vitio recessurum, et sic dimittetur ei.

CLXI. Iracundus et furiosus si frequenter irascitur sine causa et propter rem inanem et vacuam, per sex vices commonebitur, in septima facient eum consurgere de ordine sessionis suæ, et inter ultimos collocabitur: docebuntque eum ut ab hac mentis perturbatione mundetur; cumque tres dignos testimonio testes, qui pro eo polliceantur, nequaquam simile quid esse facturum, adduxerit, recipiet sessionem suam. Alioquin si permanserit in vitio, moretur inter ultimos perditio priore loco.

CLXII. Qui falsum cupit probare contra alterum, ut opprimat innocentem, tertio commonebitur; et postea reus erit iniquitatis, sive de prioribus sit, sive de inferioribus.

CLXIII. Qui habet pessimam consuetudinem, ut

fratres suos sermone sollicitet, et pervertat animas simpliciorum, tertio commonebitur; si contempserit, et obstinato animo in duritia perseveraverit, seperabunt eum extra monasterium, et verberabitur ante fores¹: dabuntque ei ad vescendum foris panem et aquam, donec mundetur a sordibus.

CLXIV. Qui habet consuetudinem murmurandi, et quasi gravi opere se opprimi queritur, docebunt eum quinquies quod sine causa murmuret et ostendent perspicuam veritatem. Si et post hoc inobediens fuerit, et est perfectæ ætatis, ita eum habebunt ut unum de 78 ægrotantibus, et ponetur in loco infirmorum; ibique aletur otiosus, donec redeat ad veritatem. Sin autem justa est illius querela, et a majore inique opprimitur; qui eum scandalizaverit, eidem sententiæ subiacebit.

CLXV. Si inobediens quis fuerit, aut contentiosus, aut contradictor, aut mendax, et est perfrictæ frontis², decies commonebitur, ut desistat a vitiis; si audire noluerit, monasterii legibus increpabitur. At si per alterius culpam ad hæc vitia devolvitur, et hoc fuerit comprobatum, ille qui causa existit, reus erit ultionis.

CLXVI. Si deprehensus fuerit aliquis e fratribus libenter cum pueris ridere et ludere, et habere amicitias ætatis infirmæ, tertio commonebitur, ut recedat ab eorum necessitudine, et memor sit honestatis et timoris Dei; si non cessaverit

¹ Additur in prima editione *a triginta novem.*, id est, *verberabitur.* Vid. supra cap. 149 notamque

huic loco respondentem.

² Eadem, et est perfectæ ætatis, ut in sup. cap.

corripietur, ut dignus est, correptione severissima. **A** possit implere quod dixerat, faciant eum inter languentes commorari, et pascetur inter otiosos, donec acta pœnitentia, impleat quod promisit [*Al.* promiserit].

CLXVII. Qui contemnunt præcepta majorum et regulas monasterii, quæ Dei præcepto constitutæ sunt, et parvi pendunt seniorum consilia, corripientur juxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

CLXVIII. Qui judex est omnium peccatorum, et perversitate mentis, vel negligentia reliquerit veritatem, viginti viri sancti et timentes Deum, sive decem, et usque ad quinque, de quibus omnes dent testimonium, sedebunt et judicabunt eum, et regradabunt in ultimum gradum donec corrigatur.

CLXIX. Qui conturbat fratrum animos, et facilis ad loquendum¹ est, lites serens ac jurgia, decies commonebitur. Et si non fuerit emendatus, corripietur ordine monasterii, donec corrigatur. **B**

CLXX. Qui viderit de majoribus et præpositis fratrem suum in tribulatione², et noluerit causam tribulationis inquirere, eumque contempserit, quæretur causa a supradictis iudicibus inter fratrem atque præpositum: et si deprehendatur negligentia præpositi vel superbia coangustatum fratrem, et judicasse eum **79** non secundum veritatem, sed secundum personam, regradabitur de solio suo, donec corrigatur et ab injustitiæ sordibus emundetur; quia non consideravit veritatem, sed personas, et servivit pravitati animi sui, et non Dei iudicio.

CLXXI. Si quis promiserit se observare regulas monasterii, et facere cœperit, easque dimiserit; postea autem reversus egerit pœnitentiam, obtendens infirmitatem corpusculi, per quam non **C**

possit implere quod dixerat, faciant eum inter languentes commorari, et pascetur inter otiosos, donec acta pœnitentia, impleat quod promiserit [*Al.* promiserit].

CLXXII. Pueri si in domo fuerint dediti lusibus et otio, et correpti non possint emendari, debet præpositus usque ad dies triginta ipse eos monere et corripere. Si viderit in pravitate persistere, et non renuntiaverit Patri³, et aliquod peccatum in eis fuerit deprehensum, ipse pro eis culpæ subiacebit, juxta quod peccatum fuerit inventum.

80 CLXXIII. Omnes autem⁴ pueri qui non timen confundi pro peccato, et per imprudentiam iudicium Dei non cogitant, et correpti verbo non emendaverint, verberentur quandiu disciplinam accipiant et timorem.

CLXXIV. Qui injuste judicaverit, juste ab aliis condemnabitur.

CLXXV. Si unus e fratribus, vel duo, vel tres scandalizati ab aliquo recesserint de domo, et postea venerint, ventilabitur inter eos et scandalizantem ante iudicium; et si reus inventus fuerit, monasterii regulis emendabitur.

CLXXVI. Qui cœnsentit peccantibus, et defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum et homines, et corripietur iucrepatione severissima [*Al.* pessima]. Quod si per ignorantiam deceptus est, et non ita putavit, ut verum est, ignoscetur ei. Et omnis qui peccat per ignorantiam, facile accipiet veniam: qui autem sciens peccaverit, sustinebit increpationem juxta mensuram operis sui⁵.

¹ Rursus eadem, *ad detrahendum*.

² *Al.*, *fratrum suorum tribulationem*, etc.

³ Excusi antea addunt *monasterii*.

⁴ Holstenius *saltem pro autem*.

⁵ Olim erat *mensuram opusque peccati sui*.

PRÆCEPTA AC LEGES S. P. N. PACHOMII.

De sex orationibus vespertinis, et de collecta quæ per singulas domos fit sex orationum.

CLXXVII. Viginti quinque *orgyas* præpositus domus ac secundus debent de palmorum foliis texere, ut ad exemplum eorum operentur et cæteri. Quod si non fuerint in præsentibus, qui loco eorum præfuerit, huic operi atque mensuræ studium commodabit.

CLXXVIII. Postquam acciti fuerint veniant ad collectam; et antequam vocentur, cellula nullus exibat. Si qui hæc præcepta contempserint, increpationi solitæ subiacebunt.

CLXXIX. Ne plus operis fratres compellantur facere: sed moderatus labor omnes ad operandum provocet. Sitque inter eos pax et concordia, et li-

D benter majoribus subiciantur, sedentes, ambulantes, ac stantes in ordine suo, invicem de humilitate certantes [*Al.* curantes].

CLXXX. Si quid peccatum fuerit, Patres monasterium emendare poterunt, et constituere quod sequi debeant.

CLXXXI. Præpositus autem domus, et qui secundus ab eo est, hoc tantum habebit juris, ut compellat fratres in collecta¹ domus, sive in collecta majore, hoc est omnium fratrum, subjacere pœnitentiæ.

CLXXXII. Quod si præpositus peregre fuerit, qui

¹ Veteres ferebant, *fratres in singulis peccatis in collecta*, etc.

secundus est locum ejus obtinebit, tam in pœnitentia fratris recipienda, quam in quocunque alio eorum, quæ in domo [Al. domino] necessaria sunt.

CLXXXIII. Si quis absque conscientia duorum ierit ad alteram domum, vel alterius domus fratrem, codicem legendum mutuum postulare [Al. postulaverit], vel quodlibet aliud, et in hoc inventus fuerit, monasterii ordine increpabitur.

CLXXXIV. Qui vult sine macula et absque contemptu in domo cui deputatus est, esse [Al. vivere], omnia quæ præcepta sunt coram Deo observare debet.

CLXXXV. Quidquid necessarium est in monasterio, sive in agro, si præpositus domus occupatus est, secundus impleat¹.

CLXXXVI. Sex orationes facere vespertinas, juxta exemplum majoris collectæ, § I in qua omnes fratres pariter congregantur, summæ delectationis² est, et ita facile fiunt, ut nullum onus habeant, et [Fort. ut] ex onere nascatur tedium.

CLXXXVII. Si quis de foris venerit, et æstu laboraverit, aliisque fratres orationem celebrabunt [Al. celebraverint]; si ire non potest, non cogetur.

CLXXXVIII. Quando præpositi domorum fratres de conversatione sanctæ vitæ docebunt, absque gravissima necessitate³ nullus aberit.

CLXXXIX. Majores qui cum fratribus mittuntur foras, quandiu ibi fuerint, habebunt jus præpositorum, et eorum cuncta regentur [Al. gerentur] arbitrio, docebuntque fratres per constitutos dies. Et si forsitan aliquid inter eos ortum fuerit simul-

A tatis, audient ipsi majores [Al. audientur a majoribus], et dijudicabunt causam, et dignum culpa increpabunt, ut ad imperium eorum statim pacem pleno corde consociant.

CXC. Si quis ex fratribus contra præpositum domus suæ habuerit tristitiam, aut ipse præpositus contra fratrem aliquam querimoniam, probatæ fratres conversationis et fidei eos audire debebunt, et dijudicabunt inter eos. Si tamen absens est Pater monasterii, vel aliquo § 2 profectus, primum quidem exspectabunt eum; sin autem diutius foris viderint commorari, tunc audient inter præpositum et fratrem, ne diu suspenso judicio tristitia major oriatur. Et ille qui præpositus est, et ille qui subjectus, et hi qui audiunt, juxta timorem Dei cuncta faciant, et non dent in ullo occasionem discordiæ.

B CXCI. Igitur qui animo uno esse concupiscunt, et vivere mente communi disposuerunt, consiliis majorum inserviant: quod ex consiliis processerit Patrum, id faciant.

CXCII. De vesticulis. Si quis ab [Al. de] his quæ præcepta sunt, amplius habuerit, absque commotione majoris⁴, deferet ad custodem cellæ, et introeundi, vel postulandi ea non habebit potestatem: sed erunt sub præpositi, et ejus qui secundus est, arbitrio.

CXCIII. De puellarum disciplina. Nemo ad eas vadat visitandas⁵, etc.

CXCIV. Quicumque de his mandatis aliquid præterierit absque ulla dubitatione negligentis et contemptus, aget pœnitentiam, ut possidere valeamus regna cælorum.

¹ E contrario erat antea, præpositus etiam non postulatus impleat. Statius legerat implicatus pro non postulatus.

² Antea erat summæ dilectionis.

³ Item erat et gravissima ægritudine; et mox quicumque a fratribus mittuntur, etc.

⁴ Verius olim editi, absque concessione majoris.

⁵ Reliqua hujus capituli alio in loco inter Regulas virginum Holstenius posuit ex fide cod. ms. qui inter S. Paschomii præcepta non agnoscit.

MONITA S. PACHOMII.

Honora Deum, et valebis. Memor esto gemitus D quos perpessi sunt sancti. Efficiamur unanimes, permanentes in quo vocati sumus; pro omnibus uram gerentes, ut hanc quam arripimus vitam perficere valeamus, et cursum institutionis nostræ Deo placitum perficere mereamus; ut ne similes inveniamur, qui in vanis et caducis rebus lætantur: ne quando mens nostra recti itineris lineam derelinquens, in peccatum corruat, et spe æterna fraudetur. Intellectu namque est optimum cognoscere voluntatem Dei. Omnium enim superior efficitur homo, qui obedierit veritati. Omnium enim malorum pejus est, legi Dei resistere, et acquiescere propriæ voluntati. Qui enim suam perficit volun-

tatem, a divina cognitione fraudabitur: nec poterit perficendo propriam voluntatem, viam sanctorum incedere; et in novissimo interitum et planctum inveniet. Nunc igitur tempus placendi Domino: quia salus in tempore tribulationis acquiritur. Ne ergo tantummodo credulitatem fidei in tempore lætitiæ teneamus, et in tempore tribulationis ab eadem recedamus. Scriptum est enim: Si voveris votum Domino, ne moram feceris reddere illud (Eccle. v, 3), et in tribulatione ne deficias; sed patiens esto, et obsecra Dominum. Immobilis enim fidei plenitudo tribnetur a Deo, quam per Spiritum sanctum acquisierunt prophetæ, in qua et apostoli confirmati sunt, qui propter fidem diversas tribu-

lationes **83** persecutionum excipientes ad promissa præmia pervenerunt. Hoc ergo scientes, ne circumferamur errorum seductione decepti; sed potius firmi et immobiles maneamus, ut cogitationum pervagationes, quæ velut aquæ effervescent, divinæ legis assidua memoria refrenemus, per quam carnalis concupiscentiæ legem destruentes, omne quod Deo placitum est exquirere valeamus: et custodiamur illæsi a curis sæcularibus, omnique elatione, quæ est insania pessima, pejor omnium malorum. Dominum semper præ oculis habentes, reminiscamur passionem crucis ejus ac mortis, per quem redempti ac vivificati sumus. Odiamus ergo mundum et omnia quæ in eo sunt, odiamus etiam.

A omnem requiem corporalem. **84** Abrenuntiemus huic vitæ, ut Deo vivere valeamus.

Memores ergo simus, charissimi, professionis nostræ, quemadmodum Deo polliciti sumus deservire: hoc ipsum enim exquiritur a nobis in die judicii. Esuriamus, sitiamus, nuditatem perferamus, vigilemus, et in psalmis atque orationibus positi ex intimo corde ingemiscentes lacrymas effundamus; nosmetipsos cauta discussione probantes, si vel in aliquo digni Deo pro ejus immensa clementia inveniri mereamur. Tribulationis angustiam non refugiamus, ut consolationis Dominicæ requiem consequamur; et immortalis vitæ ac sempiternæ requiem percipere mereamur.

SS. PP. PACHOMII ET THEODORI

EPISTOLÆ¹ ET VERBA MYSTICA.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad sanctum virum Cornelium, qui Pater fuit monasterii Mochanseos: in qua loquitur juxta linguam quæ ambobus ab angelo tradita est, et cujus nos sonum audimus, cæterum vires et sensum intelligere non possumus.

I. Deus sapiens, Deus absque ullis occasionibus bonus, Deus sine omni querela, dedit requiem spiritui tuo: et tu da requiem animæ tuæ: ut lætetur Sion in diebus nativitatis suæ. Fac opus Iotæ, quod vocatum est Y in diebus antiquis: et pone Delta ante oculos, ut bene sit animæ tuæ. Ro tetendit manum suam, ut perveniret ad te; quod est Iota: hoc est sepulcrum cubiculi tui. Cane tu Ω , ne forte Ω tibi canat sæculum impudentissimum. Lætetur tecum, ne tu cum sæculo gaudeas procacissimo. Memento Heta: ne obliviscaris Kalendarum, quæ sunt dies paupertatis et cubilis tui. Tolle tibi Iota, quod præcipuum est ex eis: non enim erat Lambda in Heta; et idcirco enutritus es sine pannis. Revertere ad Kalendas quæ sunt Xi. de Y paraverunt plaustra tabernaculi principes tribuum, et obtulerunt ea lætantes, cunctaque dona cum omni gaudio. Et tu ut sapiens cognosce capillum capitis tui in via, ut veniat gratia super his, quæ sunt dies innocentie tuæ. Nunquid non Kalendæ sunt Tau?

¹ De hisce epistolis Gennadius cap. 7: « Pachomius, inquit, scripsit ad collegas præposituræ suæ epistolas, in quibus alphabetum mysticis tectum sacramentis, velut humanæ consuetudinis excedens intelligentiam clausit, solis credo eorum gratiæ vel meritis manifestatum. Unam ad abbatem Syrum, unam ad abbatem Cornelium. Ad omnium monasteriorum præpositos, ut in unum antiquius

B Heta est Pascha. In his omnibus ne obliviscaris Simmæ, quod vocatur quidem Simma, sed habet communionem cum Ro: donavit illi partem suam, ut fiat dives in Ω . Litteræ hujus Epistolæ scriptæ sunt Delta, et Iota. Saluta caput et pedes, et manus, et oculos, et reliqua spiritus tui, quæ sunt Alpha.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad Patrem monasterii Syrum, qui et ipse gratiam cum Pachomio et Cornetio angelicæ linguæ acceperat.

85 II. Memento quæ scripserim tibi Y, in Epistola propter Tau scriptum, et recordare, et scribe Ni propter Simma quod scriptum est. Numquid Xi non est Y, quod in Kappa convertitur? in his omnibus recordare, et scribe Ni et Iota ut Alpha pulchre scribatur in gratiam excelsorum. Numquid **86** Moe non est Y et Kappa, Kappa non est Tau? **C** Aperi os tuum, et leva faciem tuam, ut oculi tui videant, et possis legere quæ scripta sunt. Attende diligenter, et cave ne scribas Delta super Phi, et inveterescant dies tui, et aquæ tuæ imminuantur. Memento, et scribe Theta et Ro ut Ro scribatur bene.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad Patrem monasterii Cornelium, quod vocatur Mochanseos.

III. Honora Dominum, et confortaberis. Memento gemitus sanctorum, Simna et Phi fiat: domus tua

monasterium, quod lingua Ægyptiaca Baum vocatur, congregati Paschæ diem velut æterna lege celebrent, epistolam unam. Similiter et ad diem remissionis, quæ mense Augusto agitur, ut in unum præpositi congregarentur, epistolam unam; et ad fratres, qui foras monasterium missi fuerant operari, epistolam unam. »